

**05**

**A**

**2108**









Collegij Institutionum  
DISPUTATIO III.

De

SPONSALIBUS  
ET NUPTIIS

Ex Tit. 10. lib. 1. desumpta,

Quam

CHRISTO duce & auspice CHRISTO  
IN CELEBERRIMA VVITEBERGEN-  
sium Academia 8. die Ianuar. horis &  
loco statis

P R Æ S I D E

TIBURTIO RUHELIO

VVITEBERGENSE, I. V. Lto

Tueri conabitur

Henricus Redslobius Be-

rolino Marchicus.

VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis per Iohan. Gorman, Anno M. DC. VI.







Amplissimis, prudentissi-  
mis, virtute, autoritate multipliciq;  
rerum usu præcellentibus  
viris,

Dn. CHRISTOPHORO GROBITZ  
inclytæ Reipub. Iuterboccens. consuli di-  
gnissimo, fautori meo perpetuo animi  
studio observando:

Dn. ANDREÆ KOCHEN in inclyta  
Rep. Berlin. civi primario & Pharmaco.  
polæ excellenti, affini meo plurimum  
honorando:

Dn. IOHANNI HEINIKEN Præfe-  
cturæ Spandoviensis Illustris. Electoris  
Brandenburgici nomine quæstori vigilantissi-  
mo, affini meo exoptatissimo,

*Præsentes positiones legales  
offert & inscribit*

Henricus Redslobius.



## Continuatio.

**D**ostquam disputatione præcedente diximus in potestate nostra esse liberos ex justis nuptiis procreatos: Proximum est ut justæ nuptiæ quæ sint, videamus. Quarum præparatoria dicuntur sponsalia.

*L. 1. ff. de sponsal.* Est enim *μνησέυειν* præmunire ac præparare id quod postea sit futurum: Hinc *μνησείας* sponsalia Græci appellant, & referuntur ad nuptias tanquam adjunctum ad suum subjectum: Unde & nuptiarum sive matrimonii spes appellantur *l. 13. §. 3. de adult.*

I.

Sponsalia *A* sunt mentio & repromissio *B* futurarum nuptiarum. *C.*

*A.* A spondendo ita dicta: nam moris fuit veteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras: Unde sponsi sponsæq; appellatio nata est *l. 2. & 3. de sponsal. l. 7. de V. S. Plaut. in Aulul. act. 1. sc. 4. & in Curcul. act. 5. sc. 2. Cujac. lib. 16. observ. 33. Duaren. c. 1. de sponsal.*

*B.* *l. 1. de sponsal.* Rectissime ita hæc sponsalia definiuntur non mutua ut vult *Weseimb. in parat. de sponsal. n. 2. post Hotem. in comm. Verb. I.*: Neq; sponsio ut manuscripta habent exemplaria. In hanc enim lectionem consentiunt *Pand. Florent.* Promissio igitur commune genus est, & ob id materia definita habet in se omnes materiæ proprietates: quippe quod promissio & ad nudam pollicitationem & ad sponsionem, non tantum eam quæ per spondentium interrogationem

A 2

fit, sed



fit, sed ad omnem stipulationem refertur. *d. l. 1. 2. 3. de sponsal. l. 19. §. dictum de Aedil. Edict. c. naturalis 30. q. 5.*

*C. d. l. 1. de sponsal.* Sive ergo dies certus sive incertus nuptiarum sit dictus, tempore demum veniente sponsa ut uxor peti potest *arg. l. 44. de O. & A. l. 146. de V. O.* aut si nulla dicta sit dies, praesens quidem obligatio nascitur ac statim sponsa sponso debetur; peti tamen prius non potest, quam tantum temporis praeterierit quo commodè & honestè fieri praestatio potest *c. non aliter 30. q. 5. Facit. l. 105. l. liber homo 118. de V. O. §. ult. Inst. de inutil. stipul. juncta l. semper de R. I. & l. semper de rit. nupt.* Hinc neque de praesenti ut volunt *Cc. in c. si inter de sponsal. & c. licet de spons. duor.* quos sequuntur *Dd. communiter autoritate Petri Lombard. lib. 4. sent. dist. 8. & retinet Beza de divort. & repud.* Verba enim spondendi, respondendi, promittendi, repro-mittendi vi ac natura futuri sui temporis demonstratio-nem continent, eamque nostra etiam definitio pro for-ma verbis illis adjungit. Repugnat ergo desponsam esse aliquam alicui, atque eandem illi traditam, & in ma-nus convenisse, sponsum & maritum, obligationem & liberationem in idem temporis momentum incidisse *d. l. 13. §. 1. de adult. ubi sponsalia spes futurarum nuptiarum dicuntur. l. 1. §. 1. pro dote ubi sponsum definitur qui nu-ptias quidem promisit sed nondum maritus est, l. 6. C. de donat. ante nupt. ubi donatio inter sponsum & sponsam valet, quae inter virum & uxorem est prohibita l. 32. §. pen. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Neque sub conditione sponsalia contrahi possunt. Promissio enim conditio-nalis obligationem suspendit, incertumque relinquit utrum quid debeat an non, quoniam in incerti casus eventum obligatio collata est *§. 1. Inst. de V. O. l. 64. ff. eod.:* At sponsalia omni jure, quo hodie utimur obligationem in continenti pariunt, & sine adulterii crimine nec sponsum aliam ducere, nec sponsa alii nubere potest, ut monstrat late *Hotom. de cast. & incest. nupt. c. 7. & 8. cum quo consentit Const. Eccles. harum provinc. sub t. Von Ehegelüb-nissen*



nüssen & wann sich einer mehr dann ein mal verloben  
würde &c.

I I.

Sponsalia cōtrahunt tam puberes *A* quàm  
impuberes *B*, modò aut ratione sanguinis  
aut affinitatis non prohibeantur *C*.

*A* Etiam si sint surdi vel muti, & nudo consensu verbis  
expressis, vel signis nutuque constituta, ubi tam agen-  
tis quàm patientis similis est conditio. Idcirco parvi refert  
per se & coràm, an per internuncium vel epistolam, an et-  
iam per alium hoc factum sit. Constat enim & absentem  
absenti desponderi posse, & hoc quotidie fieri, sed ita ut  
scientibus his qui absunt sponsalia fiant, aut si postea ratum  
habuerint. *l. 4. 5. 14. & f. de sponsal. l. 22. de ritu nupt. l. 13. de his  
qui not. inf. c. nec illud 3. q. 5. c. un. de sponsal. in 6. c. honorantur 30. q. 5.  
Gregor. Tholos. lib. 8. Syntag. c. 4. n. 6. Mozzius de spons. c. qui possunt  
spons. & c. n. 2. 3.*

*B*. Hi tamen adulti facti matrimonium consummare  
non tenentur. Et quanquam autore Modest in *l. in spon-  
salibus 14. de sponsal.* in sponsalibus contrahendis ætas contra-  
hentium definita non est ut in matrimoniis, & à primor-  
dio ætatis sponsalia effici possint: tamen hoc jure utimur,  
ut extra casum necessitatis & publicæ utilitatis nulla spon-  
salia valeant, quæ ante septimum ætatis annum constituta  
sunt. Idcirco nec impuberes soli, nec tutores impuberum  
nomine sponsalia contrahere possunt, sed illorum opus est  
consensu, horum verò autoritate *Paul. lib. 2. sent. t. de nupt.  
l. 6. l. ult. de sponsal. c. 1. caus. 30. q. 2. c. un. de sponsal. impub. in 6. l. 59,  
de O. & A. l. 13. §. ult. de condict. indeb. quamvis Hottom. in  
primo casu contrarium statuat c. 6. de cast. & incest.  
nupt.*

*C*. *§. 1. 2. 3. 4. Inst. de nupt. l. 6. C. cod. l. 53. l. 14. §. pen. & l.  
f. de ritu nupt.*

A 3

Vt au.



## III.

Vt autem sponsalia, subsistant legitimus requiritur consensus sive tacitus sit sive expressus.

*L. 4. l. 7. §. 1. l. 10. l. 11. de sponsal. qui consensus olim exprimebatur externis solennitatibus, communiter quidem osculo amoris, convivii amicorum, sponsalitia largitate & donationibus ante nuptias: Singulariter per sponsum, annuli pronubi insertione indigitum minimum manus dextræ vel qui ei est proximus, item arrha, & donatione propter nuptias. Per sponsam verò dictione dotis l. 5. l. 27. l. 32. §. si quis l. 36. §. ult. de donat. int. vir. & uxor. l. 25. C. de donat. ante nupt. Quas solennitates latè explicat Hottom. de cast. & incest. nupt. c. 3. Plinius lib. 36. natur. hist. Sigon. de antiq. Iur. Ital. l. 1. c. 9. quæ quomodo hodie in usu sint, quid ex adiunctis hisce probari possit latè monstrat Menoch. de pres. l. 3. pres. 1. cum seq. Illud non omittendum per solam annuli traditionem sponsalia non contrahi, nisi vocibus linguâ figuratis hoc exprimatur, vel alio modo significetur, annulum in hoc dari: Et illum mulier vel virgo sponsaliorum nomine recipiat Beust. tr. de sponsal. c. 6. vers. sponsalia tamen Immol. in c. tenor. de re judic.*

## IV.

Sponsalia clandestina nullius sunt momenti, ne quidem carnali copula accedente.

*L. 1. de concub. l. 7. C. de repud. l. 5. C. de probat. c. ult. de clandest. sponsal. const. Eccles. har. provinc. t. Von Ehegelübnißten Const. Elect. 27. pr. 4. Hottom. de sponsal. c. 3. in pr. Unde hodie speciali horum locorum consuetudine constitutum est, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in templo per Presbyteros publicè proponantur, competenti termino præfinito ut intra illum qui voluerit & valuerit legitimum impedimentum opponat, aut postea perpetuò sileat, quam consuetudinem vim legis universalis habere voluit Pontif. in c. 3. de clandest. sponsal.*

Effectus



Effectus sponsaliorum sunt nuptiæ *A*  
 quæ dicuntur legitima *B* conjunctio *C*  
 maris & fœminæ *D* individuum vitæ con-  
 suetudinem continens *E* divini atq; humani  
 juris communicatio *F*.

*A.* Ab obnubendo seu velando dictæ, quia sponsa in do-  
 mum sponsi ducta velamine matronali tegebat faciem in si-  
 gnum verecundiæ & subjectionis *Genes. 24. vers. 65. c. nec illud*  
*30. q. 6. c. hæc imago &c. seq. 33. q. 5. Varro lib. 4. de lin. lat. Beust. de*  
*matrim. c. 1.* Vocatur alias matrimoniū causa finali cōsiderata  
 non enim ob aliud fœmina nubere debet, quàm ut mater  
 fiat; nec quia nupta jam mater est sed fieri sperat *Gell. lib. 18.*  
*c. 6. Beust. d. c. 1. Pet. Fab. lib. 2. sem. c. 23. Forst. de succes. ab intest. lib.*  
*9. c. 2. n. 2.* vel à majore onere & labore matris in procrean-  
 do partu, quicui ante partum onerosus, in partu dolorosus  
 post partum laboriosus dicitur *in c. ult. de convers. insid. vel quod*  
*liberis certior patre sit l. 5. de in jus vocand. l. 6. de his qui sunt sui*  
*&c. l. 83. de cond. & demonstr. Appellantur quoque conjugium*  
*l. 21. de nupt. quod stabili parique jugo in rebus secundis &*  
*adversis ad tolerandas vitæ œconomicæ molestias conju-*  
*ges perpetuò & animo & corpore junctos esse oporteat*  
*Eberh. Speckhan cent. 2. q. Iur. class. 2. q. 4. n. 3.* unde & consorti-  
 um vocatur *l. 1. de rit. nupt. l. 22. C. h. t. quod ejusdem sortis &*  
*fortunæ prosperæ & adversæ participes esse debeant con-*  
*juges Spekh. d. q. 4. n. 5.* Nec non connubium *l. 45. §. 4. de rit.*  
*nupt. quod simul nubant; Veteres enim tam viros quàm*  
*fœminas nubere dixerunt, ut Nonius Marcel. in lib. de propriet.*  
*serm. notavit.*

*B.* Qualis sit illa legitima conjunctio in verb. seqq. tra-  
 ditur. Nam discernitur ab omnibus reliquis conjunctio-  
 nibus maris & fœminæ legitimis & illegitimis, quæ non  
 habent tria axiomata, vitæ consuetudinem individuum,  
 vitæ omnis consortium, communicationem juris divini &  
 humani.

C. Con-



C. Conjunctionem intellige non corporum sed animorum, quâ alter alteri se tradit ad conjugalem usum expressè vel tacitè Covar. in epit. de sponsal. pr. 2. c. 1. n. 1. & 6. Mozz. in tr. de nupt. t. de matrim. n. 2. Copula itaque carnalis & commixtio corporum ad substantiam nuptiarum non requiritur l. 30. de R. I. l. consensu s. C. de repud. N. 140. c. 1. Gail. lib. 2. obs. 80. n. 4. quamvis Cc. copula demum matrimonium perfici & consummari statuant c. non est dubium c. cum societas c. statutum 27. q. 2. c. 2. de convers. conjug. Nec jure Sax. copula necessariò requiritur: Nam licet illud consensionis thori maritalis faciat mentionem lib. 3. Landr. art. 45, attamen commixtionem necessariò non exigit. Consequitur itaque sponsus & sponsa lucra matrimonialia, etiamsi copula non intercesserit, morbo vel alio impedimento interveniente, dummodo thorus consensus fuerit Moller. lib. 3. sem. c. 33. Const. Elect. 19. pr. 3. & ibi Moll. Imò lucratur illa sponsus si non ipsa nuptiar. die sed sequenti aliqua moriatur, etiamsi consensio thori facta non sit, cum d. Const. 19, de die saltem nupt. loquatur.

D. Simul itaque duas vel plures uxores vel tot maritos habere non licet. Genes. 2. v. 32. Matth. 19. v. 6. c. nemo 32. q. 4. t. t. de sponsa duor. l. 18. C. ad L. Iul. de Adult. l. 1. de his qui notantur inf. Beust. de matrim. c. 3. Beza de Polyg. in pr. quamvis morte soluto matrimonio aliam conjugem ducere non sit prohibitum, quicquid contra statuant Montanistæ & eorum princeps Tertull. quorum argumenta ordine refutat Bez. in d. tr. de Polyg. Iisdem verbis prohibetur quoq; Sodomitæ peccatum sive mas cum mare, vel fœmina cum fœmina illud exerceat Rom. 1. v. 26. l. cum. vir. 31. C. ad L. Iul. de adult. l. 1. §. 2. de extra ord. crim. N. 77. c. 1. Beust. de matrim. c. 6. & 7.

E. Matrimonium enim individuum vinculum est quod ab homine dissolvi non potest juxta dictum Christi Matth. 19. v. 6. c. quos Deus 30. q. 2. Excludit ergo fornicationem, stuprum, & adulterium, ubi quidem corporum conjunctio est, ea tamen quæ non individua, sed quandocunque dissolvi potest, quemadmodum concubinatum omni tempore dirimere



rimere licet *l. 1. de concub. Nec lex 2. de concub.* individuum concubinatum arguit, utpote cum patronus in furorem redactus, non censeatur libertam concubinam repudiasse qui animum suum unquam declaraverit. Excluditur quoque per *d. verba societas & communio rerum*, quæ vitæ non est, sed bonorū, nec ipsa quoq; perpetua *l. f. C. comm. divid. l. 20. ff. pro socio.*

F. Quæ licet non sit de essentia matrimonii, est tamen quidam ejus effectus. Id enim operatur hæc conjunctio ut conjuges sint socii divinæ & humanæ domus *l. 4. C. de crim. expil. hered.* ut scilicet eadem sacra *l. 5. 6. 7. C. de Iud. & Calic. idem domicilium forumq;* *l. 5. inf. de rit. nupt. l. 65. de Iud.* habeant. Unde & tritam illam ac vulgarem quæstionem, An maritus sit dominus dotis facile decidi posse arbitramur.

#### VI.

Porro justas nuptias inter se contrahunt soli cives Romani *A* qui secundum præcepta legum coeunt *B* masculi quidem puberes, fœminæ verò viripotentes *C*.

*A.* Romanus enim si peregrinam, Latinam, aut aliam externam mulierem duxisset vel contra, matrimonium non cōstabat: nec liberi inde nati pro justis habebantur, nec sub patria potest. erant, nisi forsan aliquibus populis jus civitatis fuisset concessum, ut cum illis legitima essent matrimonii vincula *Cic. in top. Palest. in tr. de spur. c. 3. n. 5. Cuj. lib. 6. obs. 20. Bodin. lib. 1. de Rep. c. 6.* Atq; hanc ob causam ex ea civitate cuj⁹ quis civis est rectius uxorem duci putant *Tiraq. de LL. Connub. gl. 1. pr. 7. n. 12.*

*B.* Erant enim olim multæ solemnitates formæ loco in nuptiis requisitæ, deductio nempe in domum mariti, cum interventu aquæ & ignis *l. 24. C. de nupt. Sigon lib. 1. de jure civ. c. 9. Briffon. in lib. sing. de rit. nupt.* quæ solemnitates cum aliis exoleverunt *l. 22. C. de nupt.* quarum vestigia supersunt in *l. 5. & seq. de rit. nupt. l. f. de donat. int. vir. & ux. l. 6. C. de donat. ante nupt.* Hisce substituit Jus Pontif. Sacerdotis benedictionem, quam Ecclesiæ nostræ sequuntur *c. aliter 30. q. 5. quæ à Constantino-*  
*B* *politan.*



politan. Inpp. quoq; recepta legitur Nov. Leon. 74. & 86. Quibus consequens est falsissimum esse quod Fachin. pr. 1. contr. lib. 3. cap. 35. Men. de pres. lib. 3. pres. 1. num. 70. cum seqq. statuunt ex cohabitatione viri & uxoris nuda præsumi matrimonium, ad hunc effectum ut filij habeantur pro legitimis. Repugnat ei primo universalis totius Germaniæ consuetudo, quæ neminē pro legitimo agnoscit, nisi se ex legitimo matrimonio per testes omni exceptione majores & per literas natiuitatis suæ **Durch seinen Geburtsbrieff** prober prius parentes suos publicè nuptias contraxisse, matrem à patre solenniter in domum deductam fuisse, **Das sie von ihrem Brutigam ehe vnnnd zuvor er geboren öffentlich zur Kirchen vnd Strassen geführet worden.** Hac probatione si quis hodie destituitur, nec iure civium, nec immunitate tribuum, nec aliqua dignitate donatur, nisi legitimis modis fuerit legitimatus, 2. fundamentum hujus opinionis præter publicam honestatem quæ sola in contrahendis matrimonijs inspicitur *l. semper de rit. nupt. § 7. & 8. Instit. hoc tit.* reperitur in iure civili expressis verbis in *§ si quis adversus ea Instit. hoc tit.* in iure Can. adest *d. c. aliter. 30. quest 5.* Tertio quicquid in *§ f. Instit. hoc tit. & in Nov. 44. de legit. eor. liber.* dispositum reperitur, mancum esset & imperfectum, si sola cohabitatio præsumtionem legitimi matrimonij eiusque effectum causaretur. 4. deniq; tota disputatio de clandest. nupt. & sponsal. injusta esset & inutilis, quod quia absurdum est, absurdum erit aliud contra jura statuere *Eberh. in Top. lo. ab absurdo nu. 1.* Neque necesse est ut in refutandis reliquarum opinionum argumentis laboris plurimum impendamus. Nihil enim facit regula *Br. in l. non solum § sed ut probari num. 5. de nov. oper. nunt.* ubi dicit, Duabus præsumtionibus concurrentibus, illam prævalere quæ delictum excludit, nam hæc regula. 1. locum habet quando præsumtio illa quæ delictum excludit legi non est contraria *l. non dubium C. de LL. c. qui contra d. Reg. I. in 6.* Impossibile enim & inutile dicitur omne id quod lex fieri non permittit *l. certi*



*l. certi juris 137. § 6. de Verb. Obl. l. 7. § 16. de pact. l. 15. de cond. Instit. l. 39. § 8 & 9. de Leg. 1.* Deinde non procedit regula Br. quando actus prima fronte maiorem delicti quam boni habet speciem, eo enim casu potius delictum præsumitur, præsertim quando adest delicti causa, nempe dolus, qui colligitur inde quod hi cohabitantes clam & occultè illud facere maluerunt, quod tamen palam & publicè fieri debere leges jubent *l. ult. de rit. nupt. l. 1. C. de interd. matrim. Menoch. lib. 3. præsumpt. 3. t. 107.* is enim qui legem spernit divinæ voluntati repugnat *l. quod contraff. de LL. cum divinitus leges promulgatæ dicantur per ora principum c. qui resistit 11. quest. 3.* Neque etiam *l. 24. de rit. nupt.* aliquid pro hac opinione facit. Illa enim si secundum *l. 3. in princ. de concub.* explicatur, primæ nostræ sententiæ stabilendæ adfert firmissimum testimonium. Disertis enim verbis exponit Iuriconsultus ibi, necesse esse qui ingenuæ consuetudine mulieris utitur, ut eam vel uxorem habeat, vel hoc recusans pœna commissi stupri afficiatur. Et quin secundum hanc *L. explicanda sit d. l. 24.* nullum est dubium, cum *Imp. Iust. in Nov. 34. c. 5.* hoc ipsum faciat.

C Quam pubertatem non ex habitu & dispositione corporis, pube videlicet à iudicibus inspecta, ut Cassiani & Pontif. neque ex habitu corporis & annorum numero simul ut Prisc. Iavol: sed ex fine 12. anni in sceminis, & 14. in maribus cum Proculianis æstimare debemus. *l. 4. de rit. nupt. l. 68. de Iure dot. § 1. quib. mod. tut. fin. l. ult. C. quando tut. vel cur. c. 6. Coras. lib. 6. Miscel. cap. 23. num. 3.* Sed inquiet aliquis magna ætatis respectu diversarum naturarum dissimilitudo? Rectè: Legislator tamen quæ plerunque fiunt non exempla exorbitantia attendit. Hinc Pontif. etiam ante hanc ætatem nuptias admittunt, si nimirum malitia ætatem suppleverit *c. 3. c. 9. c. f. de despons. impub. quemadmodum puellam 9. annorum peperisse tradit Alber. de Rosat. in ind. verb. matrimonium, & pueros 9 vel 10 annorum gravidas reddidisse nutrices suas testatur Gregorius lib. 4. dialog. c. 19. Coras. d. lib. 6. Miscel. c. 12. Beust. de matrim. cap. 41.*



Ceterum nuptiæ consistere non possunt nisi consentiant & qui coeunt *A* & quorum in potestate sunt *B*.

*A.* Consensus enim contrahentium solus proximè omne efficit matrimonium *N. 74. c. 4. N. 117. c. 3. c. sufficiat. 27. q. 2.* quemadmodum liberis ad honesta properantibus parentes consentire & dotem dare coguntur *l. qui liberos de rit. nupt.* ita liberorum quoq; cōsensum, quorum præcipue interest, explorare debēt *l. 7. 11. 13. de sponsal. l. 30. de R. I.* Sufficit tamen in filia si patri non contradicat *d. l. 7. §. 1. l. 12. in pr. de sponsal.*

*B.* Per *pr. Inst. h. t. l. 2. l. 8. l. 35. de rit. nupt. l. 12. l. 20. C. de nupt.* Consensum enim parentū, quem jure Nat. Civili & Divino necessarium esse magni nominis Jcti tradiderūt, in tantum requirit Imp. Just. ut & nuptias invitis parentibus contractas raptum judicaret *l. 1. C. de rapt. virg.* Cujus requisiti consensus duas rationes adfert Imp. 1. qui naturalis ratio constituit, ut parentibus pareamus *l. 2. de I. & I.* cum enim parentes optimum consilium pro liberis capere præsumantur, & omnia ex voto liberis parare dicantur *l. 8. in fin. ff. quod met. caus. l. 22. ad L. Iul. de adult.* Cur non in hoc arduo & gravissimo matrimonii negotio ipsorum consensum requiramus? Tacemus quod ipsa l. divina liberos à parentibus elocare jubeat *Exod. 22. v. 17. & c. 34. v. 16.* Omittimus quod lenonum ac meretricum fraudes & clandestinæ conjunctiones insidiosis captio- nibus extortæ, quæ sæpe tristes & infelices exitus cum magno Reipub. damno fortiuntur, hoc modo reprimantur. Adducit deinde Imp. civilem rationem ex patria potest. desumptam, cui liberi etiam civiliter subjecti sunt *per pr. Inst. de pat. pot.* Ad- dimus quod per nuptias ipsius filiiif. proles avo heres agno- scatur, ita ut patre remoto nepos avo succedat *§. sed si quis Inst. de adopt. l. 17. §. 1. de rit. nupt.* quod sanè sine ipsius consensu fieri iniquum esset. Ceterum tx. qui ex jure Can. contra consensus parentalis necessitatem adduci solent respondet *Vulr. ad d. pr. Inst. h. t.* quos si quis urgeret vehementius, responderemus,  
concili-



concilium Trident. à jure Civ. recessurum non fuisse, nisi ad-  
versam sententiam Idolomania Pontif. fructuosam per-  
spexissent: Ut enim virginitatem Vestalem seu Monachalé  
stabilirent, excogitarunt astum argumentationis hoc modo:  
Liberi sine parentum consensu carnaliter matrimonium cō-  
trahere possunt, E. multo magis spiritualiter *Men. lib. 2. de arb.*  
*Jud. quest. cent. 5. cas. 453. n. 6. & seq.* quamvis huic sententiæ &  
ipsi Pontificii sæpius contradixerunt *Duar in pral. ad t. solut. mat.*  
*& c. 2. de nupt. Paleot. de spur. c. 8.* quin expressa scripturæ verba  
adferamus, *Num. 30. v. 6. & 7.* votum, inquit Moises, etiam Deo  
factum à filia & muliere, patrem & maritum irritum facere  
posse. In tantum autem consensus parentum requiritur, ut &  
jussus eorum nuptias præcedere debeat, nec rati habitio uti  
volunt *Wes. in S. 1. Inst. h. t. n. 8. Hacelm. disp. 14. th. 7. lit. B.* lo-  
cum habeat. *Cujac. lib. 3. obs. 5. Beust. de mat. c. 46. Myns. cent. 2.*  
*obs. 34. Borch. ad pr. Inst. h. t. Hottom q. illust. 9.* quæ tamen omnia  
ita procedunt nisi malitia parentum ex justa aliqua causa ma-  
nifestè appareat, vel si filii sint majorenes *l. qui liberos 19. de*  
*rit. nupt.* Hinc ordinatio Eccles. hujus territorii. **Don Ehe-**  
**gelübnißsen s dagegen aber graviter & piè admonet paren-**  
**tes, Wann die Kinder ihre jhar erreicht / darauff bedacht**  
**zu sein / welcher gestalt dieselben ehrlich vnd also versor-**  
**get werden / das sie auch ihres theils damit zu frieden sein**  
**können, vnd sonderlich do die Kinder ihre Eltern vmb**  
**erlaubniß ersuchen / vnd sich mit gewissen Personen ehe-**  
**lich zu verbinden bitten / weren sie ohn erhebliche vrsa-**  
**chen darinnen nicht zu hindern / vnd wo sich die El-**  
**tern vnd sie deswegen mit einandern nicht vergleichen**  
**können so sol es dann vnd ehe von den Kindern etwas**  
**verbündlich vorgenommen wird / bey vnsern Consisto-**  
**riis gesucht / vnd doselbs nach billikeit entscheiden wer-**  
**den.** Illud non omittendum falsissimam esse sententiam  
*Bez. in tr. de repud. Oldend. cl. 4 act. 26. Cona. 8. com. 4. Duar. c. 2.*  
*sol. mat. Cottm. conf. 1. n. 204.* statuentium matrimonium sine  
consensu parentum contractum & copula carnali consum-  
matum rescindi posse, sed contrariam potius à *D. Luther.*



tom. 9. Wit. pag. 173. v. auch wo es so ferne Pumbt Phil.  
Mel. in exam. de Conjug. rub. de consens. par. VVesemb. in par. n.  
3. & 8. Beust. de matrim. pr. 2. c. 47. approbatam ac in foro  
& Consistoriis receptam æquorem & veriozem esse ne re-  
spectu patriæ potest. benè concordantia matrimonia tur-  
bentur Paul. l. 2. sent. t. 19. §. 1.

VIII.

Consensum autem omnino liberum de-  
sideramus A, sine errore B, vi aut metu adhi-  
bitum C.

A. l. 8. l. 14. 20. C. de nupt. ne liberis omnis occasio con-  
trahendi matrimonia præcidatur.

B. c. un. 25. q. 1. : Nihil enim tam contrarium consen-  
sui est quam error. Quod de errore personæ, ut si quæ pro  
Titio nubat Cajo: arg. l. 18. §. 3. de injur. & conditionis dete-  
rioris, ut si quis servam ducat quam putat esse liberam c. 2.  
de conjug. serv. c. si quis ancillam cum seq. 29. q. 2. intelligen-  
dum, non etiam de errore fortunæ aut qualitatis, puta si  
quis pro nobili innobilem, pro divite pauperem ducat  
d. c. un. Vel quando deformi aut malæ fides datur quæ  
formosa vel bona esse creditur d. c. un. Illud hic in con-  
troversiam vocari solet: si quis corruptam & ex alio gra-  
vidam factam inscius in uxorem duxit, utrum errore il-  
lo matrimonium contractum vitiari debeat? VVes. in parat.  
n. 8. de rit. nupt. & in add. ad Schneid. de nupt. t. de divort. n.  
58. Hart. Hartm. lib. 1. obs. 3. Bronch. cent. 2. c. 17. commu-  
ni consensu scribunt tale matrimonium rescindendum  
non esse l. per c. un. 29. q. 1. ubi dicitur quod talis non  
possit dimitti, ne occulta delicta denudentur & contra-  
cta conjugia distrahantur. l. 26. ad L. Iul. de adult. De-  
inde neque sponsæ conceditur sponsum suum ob amissum  
pudorem repudiare, cur non idem jus admittat maritus  
in uxorem, quod in se purat esse æquum l. 1. & t. t. ff quod  
quisq. jur. in alium stat. ut ipse eod. jur. ut. Tertio si ob animi  
vitium



vitium mulier quæ est infidelis, hæretica Athea, repudiari nequit, multo minus ob corporis vitium hoc erit permittendum, cum vitia animi præponderent atrocitate vitia corporis: sed prius verum *per c. 2. de divort. & 1. ad Cor. 7. E. & posterius. Quarto absurdum est tacita prævalere expressis, & plus operari l. 3. ubi Dd. si cert. pet. At vero conditionem illam si te invenero virginem te ducam ut turpem & illicitam Theol. & JCrri improbant Phil. Mel. in exam. t. de condit. Quinto qui cum alio contrahit scit vel scire debet conditionem ejus cum quo contrahit l. qui cum alio 9. de R. I. Sibi igitur imputet quod antea diligentius in personam, quam ducit non inquisivit. Sexto Ulp. diserte scribit stupri accusari eam mulierem non posse, quæ post illud ducta est, serò enim accusat mores mulieris quos ducendo probavit l. si uxor. 13. §. f. ff. ad L. Iul. de adult. Denique potest adduci l. alio quin 11. §. si quis virginem ff. de contrah. emt. ubi emtio valet si quis mulierem emit, quam virginem esse putat. Hæc etsi ita probabiliter dicuntur, verior tamen est sententia Phil. Mel. in lo. de conjug. Bez. in tr. de divort. Beust. de mat. pr. 2. q. 34. Schurf. cent. 3. conf. 9. Reusn. lib. 1. consult. q. 5. qui putant eo casu quando certo constat desponsatam ab alio prius cognitam & vitiatam esse, tentandam quidem esse omni studio reconciliatorem. Quæ si obrineri nequeat partem innocentem & ita enormiter deceptam liberam esse pronunciamdam, id quod etiam in Consistoriis nostris observatur attestante Beust. d. lo. Probatur hæc sententia 1. ex Iure div. Deut. 22. v. 21. ubi ejusmodi mulier corrupta sese pro virgine venditans ut adultera lapidibus obruitur. Deinde dolus hic adest quo corrupta in sciumer ignorantem decipit maritum. Dolus autem non solum contractus bonæ fidei reddit nullos l. 7. de dolo malo. Sed etiam matrimonia c. tua 26. inf. de sponsal. Denique Joseph eo nomine tanquam iustus*

commen-



commendatur qui sponsalia cum Maria (quam ex alio pregnantē factam esse suspicabatur) contracta secreto dissolvere constituit Matth. 1. Nihil nobis negotii faceat quod Jus Can. in d. c. un. & c. quemadmodum 25. S. f. de jurej. dissolutionem matrimonii non admittit, si quidem illi tantum tribuendum non est, ut possit cogere deceptum ab alio compressam retinere contra expressam Dei voluntatem: maximè cum argumentum ab emtione agri ductum sit à separatis, à quibus malè inferitur l. Papinianus 20. ff. de minor. Nam quando duco corruptam pro virgine non est error simplicis qualitatis qualis est error in emtione agri sterilis pro fertili, sed error substāialis qualitatis Reusn. d. q. 5. Beust. d. c. 34. Sic quoq; eadem quidem castitas ab utroq; debetur, quemadmodum etiam uterq; peccat adulterium committendo: Verum mulier gravius violat coniugii thorum, gravius quoq; lædit Rempub. dum pro legitimo partu conatur substituere adulterinum & spurium. Pari modo tertiū quoq; argumentū à separatis est. Nā animi labes possūt elui possūt supprimi, ac matrimonii societatem nō ingrediuntur arg. l. precipiunt 37. de Aedil ed Traj de LL. connub. pr. 6. n. 3. Quartum & quintum argumentum quod attinet dicimus conditionem illam, Si te virginem invenero, improbari. Nam qui ita dubitat, vel malitiosè dubitat vel probabiliter. Malitiosè non facilè quis dubitat de ea, cui se, suam vitam atque omnia concredere constituit. Si probabiliter, fortè ex communi fama, dubitat, sibi debet impicare quod illaudatæ famæ mulierem duxerit Beust. de sponsal. c. 18. Quod 6. loco Ulp. verba, In d. l. si uxor 13. S. f. ad L. Iul. de ad. attinet, sciendum loqui JCrum. ibi de casu, quando quis scivit mulierem esse stupratam, quod apertè demonstrat verb. Probavit Quomodo enim quod nescio probare possum? c. quod semel. c. mutare 33. de R. I. in 6. Parum deniq; facit arg. desumptum ex d. l. alioquin 11. S. si quis virg. de contrah. emt. Alia namq; ratio est emtionis, alia matrimonii. In emtione venditor tenetur ad id quod interest: At hoc in casu damnū æstimari nequit, nedum solvi,

C. L. 21. ff. quod met. caus. c. 14. c. 15. c. 28. de sponsal. quem de metu



metu justo qui in constantem virum scēminamq; cadere potest intelligimus *d. c. 15. & 28. l. 6. ff. quod met cau.* Cujusmodi est metus mortis, verberum, vinculorum, minorumq; aliarum *l. 3. inf. l. 7. §. 1. ff. quod. met. ca. l. 6. §. ult. de acquir. hered.*

IX.

Ceterum illud cavendum ne tales conjungantur personæ, quæ aut natura aut Lege impediuntur. Natura à nuptiis arcentur turiosi, impuberes, mente capti, frigidi, malevitiati, Eunuchi, & alii impotentes, quos vel medici cura nihil juvat, vel apud quos nulla spes restitutionis est residua.

*L. 8. de spons. l. 15. §. 2. de rit. nupt. l. 10. C. de repud. l. 60. de don. int. vir. & ux. l. 39. de Iur. dot. N. 22. t. 6. t. t. de frig. & malev.*

X.

Lege quidam prohibentur aut Naturali & gentium aut civili. Lege naturali & gentium tria sunt quæ matrimonium impediunt, cognatio, affinitas & publica honestas: & cognatio quidem vel indirecta vel in transversa linea.

XI.

In directa cognationis linea inter ascendentes & descendentes nuptiæ in infinitum sunt prohibitæ.

*§. 1. 2. 3. Instit. h. t. l. 6. C. eod. l. 53. & l. fin. de rit. nupt. Levit. 18. & 20. Gen. 19. vers. 31. Deut. 22. 1. Cor. 1. licet decimo gradu, quo tamen ætas nostra nunquam penetrat, distent. Nam qui se polluit hoc nefario coitu, ea facit quæ ipsa bruta detestantur Nov. 12. adeoq; omnium gentium consensu hic concubi-*

C

tus im-



tus improbatus est: Quod de his accipiendum qui se naturali luce regi patiuntur, ut obviã procedatur Semiramidis sanctioni, qua matrimonium inter parces & liberos permittit, ut prætextu juris publici, postea concubitu filii sine reprehensione frueretur, ut constat ex *Iustino lib. 1. histor. Herodoto & alijs.* Et hæc non tantum inter naturaliter cognatos, hoc est, qui ex iustis nuptiis procreati sunt, sed etiam inter civiliter cognatos, hoc est, qui adoptione quæsi sunt, obtinent *d. §. 1. vers. 5. & hæc adeo h. t. l. 55. de rit. nupt.* Aures enim & animi hominum respuunt eandem dici filiam & uxorem.

## XII.

Inter naturaliter cognatos collaterales jure civili matrimonium consistit intra quartum gradum inclusivè, si æqualiter *A*, non inæqualiter *B* cohereant, & quidem secundum computationem civilem *C*.

*A.* Inter patruales igitur, amitimos, consobrinos, sobrinos, &c. nuptiæ jure civili permittæ sunt *§. duorum 4. h. t. l. 19. C. eod.* Etsi enim textum *d. §. 4. h. t.* negativè legat Theophilus & Cajus: tamen consobrinorum legitimas fuisse nuptias, patet ex jure divino *Num. ult. circa fin. Augustin. lib. 15. de Civit. Dei 16.* Nec Imperator noviter hoc jus ex constitutione *Arcadii ex l. 19. C. h. t. assumpt. l. 38 §. 7 ad Scutum Trebell. l. 3. de ritu nupt. l. 2. C. de Instit. & substit.* sed id ipsum ante Imperatorum tempora usitatum fuisse constat ex *Orat. Ciceron. pro Cluentio:* Licet contrarium aliquando constitutum sit à Theodosio majori *l. unic. C. Theodos. si nupt. ex rescript. pet. & Pontificiis etiam diversum placeat c. non debet de consang. & affin.* in hac provincia eiusmodi matrimonium non aliter subsistat ac si speciali principis rescripto impetretur *Constit. Elector. Mauricij de Gradibus prohib. Lutherus in lib. Von Ehesachen.* Interim tamen dum Pontifici consobrinorum nuptias reiecerunt, eorum qui parentum loco sunt, nefariè permiserunt *l. 1. & 2.*

35. q. 2.

B. Nam



B. Nam inæqualiter coherentes sibi invicem parentum & liberorum loco sunt, atque ita naturali observantia & pudore à matrimonio mutuo arcentur. Hinc inter fratrem & sororem nuptiæ sunt prohibitæ, sive ab eodem patre eademq; matre nati fuerint, sive ab uno tantum. Item sororis proneptem quemadmodum & fratris ducere non possum, item amitam licet adoptivam uti nec materteram l. 39. in pr. de ritu nupt. §. inter eas h. t. Deut. 27. & 32. Levit. 18. vers. 9. item 30. vers. 7. Quas nuptias licet Plato lib. 5. de Republ. permittendas putaverit: tamen lib. 8. de Legib. eas incestas vocare non dubitavit. Imò etiamsi quis concubinam habuerit fratris aut sororis filiam eamque libertinam, tamen incestus committitur l. 56. & 57. §. 1. de ritu nupt. l. ult. de condict. sine causa l. 38. §. 1. l. 11. §. 1. de adulter. §. fratris Instit. h. t. l. 1. C. Theodos de incest. nupt. l. ult. C. si nupt. ex rescript. Per.

C. Quam ut insigniorem & naturæ juriq; divino magis consentaneam computationi graduum jure Pontificio introductam præferendam arbitramur cum Hottom. in tract. de cast. & incest. nupt. p. 1. t. 3. Beza de Divort. Bucero de regno Christi cap. 17. Borchhold. de Gradib. Treutl. p. 2. disp. 6. th. 2. lit. f. quamvis nescii non simus Canonicam in Consistoriis harum provinciarum adhuc tolerari. Erasmus Sarcerius lib. singulari de conjugio p. 2. fol. 52. Beust. de matrim. cap. 56. VVesemb. in paratit. n. 4. de rit. nupt.

## XII.

Affinitatis quoque relatione, inter maritum & consanguineos uxoris, & inter uxorem & consanguineos mariti contractæ A, à nuptiis eorum est abstinendum, qui parentum liberorumve, fratrum & sororum loco sunt B.

C 2

A. Quæ



A. Quæ propriè affinitas dicitur, l. 4. §. 7. de Gradib. licet impropiè latius extendatur, quæ tamen in nuptiis non attenditur quod Servius de condict. causa dat. l. non ideo C. de Hered. instit. d. l. 4. §. 3. de Gradib. c. 8. de consanguin. Unde quis relictam fratris defunctæ suæ uxoris viduam, mariti quoq; filius novercæ suæ filiam ex aliomarito susceptam ducere sine obstaculo potest: Sicut nec fratres duas sorores; item pater & filius, matrem & filiam matrimonio sibi jungere prohibentur §. 8. hinc l. 24. §. 2. de rit. nupt. c. 5. de consang. & affin. Vitricus tamen privigni relictam viduam ducere peculiari de causa nequit, quia in lineam rectam ista incidit affinitas, l. 15. de ritu nupt. Idq; etiam hodiè in hisce terris sine dispensatione principis non licet, quæ tamen præcedente licebit Beust. de matrim. cap. 53. & seq. Ut sit nos Christiani eius modi dispensationem non facilè petere debemus propter læsæ publicæ honestatis conscientiam: nec facile concedere princeps propter offensam tranquillitatem publicam: Aliàs in gradibus iure divino non disertè prohibitis dispensationem principi licitam scimus l. 31. l. 57. §. 1. de ritu nupt. Vasquius lib. 1. illust. controv. cap. 25. & seq. Beust. de matrim. c. 56. Cæterum reliquos gradus à Pontifice prohibitos, puta cognitionis spiritualis ut nō curamus, ita dispensationis eius prodigalitatē nihil facimus Vasquius d. loco.

B. d. l. 4. §. hoc itaq; de gradib. l. fin. de Condict. caus. dat. §. 6. h. t. l. 12. de rit. nupt. Constit. Electoris Mauricii de Gradibus. prohib. inter affin.

#### XIV,

Ratione publicæ honestatis patri sponsam filii, & filio sponsam patris in matrimonium collocari prohibitum est.

L. 12. §. 1. & 2. l. 14. in fin. de ritu nupt. c. 4. de sponsali. argum. l. 4. D. ad L. Pompei de Parricid. Nam in conjunctionibus non tam quod licet, quàm quod honestum est, spectari debet l. 42. de rit. nupt.

Adle-



## XV.

Ad legem civilem quod attinet eâ matrimoni-  
monium prohibet inter tutorem ejusq; li-  
beros & pupillam A, item inter servilis con-  
ditionis homines B, nec non etiam inter of-  
ficiales & administratores provinciarum &  
fœminam provincialem: item inter senato-  
rii ordinis & humiles personas C.

A. l. 64. in pr. & §. 1. l. 66. l. 67. §. 1. de rit. nupt. Quia huius-  
modi cōjunctione fraudem administrationis tegere laborat,  
& dos data per conditionem repeti potest l. 1. l. 6. & 7. C. de  
interdict. matrim. Quanquam enim in arbitrio matris pater es-  
se voluerit, cui nuptum filia communis collocaretur; frustra  
tamen ab ea tutor datus eligitur: Neq; enim intelligitur pa-  
ter de tutoris persona cogitasse, cum ideò matrem maximè  
prætulit ne filia nuptias tutori committeret l. 62. de rit. nupt.  
Tutor tamen pupilli non prohibetur filiam suam colloca-  
re pupillo suo in matrimonium l. 64. §. fin. de ritu nupt. quod  
& de curatoris filia verum est l. 5. C. de Interdict. matrim.

B. § 10. h. t. l. 14. §. 2. & 3. de rit. nupt.

C. l. 1. §. 1. C. si Rector provinc. l. 38. l. 63. l. 44. l. 23. 27. 31. 59.  
& 42. de rit. N. l. 76. fin. C. de Incest. nupt. Vult. C. de Nupt. Quod ta-  
men hodie quoad nuptias libertinarum & abiectarum fœ-  
minarum correctum legimus l. 23. C. h. t. Nov. 78. cap. 3. Nov.  
117. cap. 6.

## XVI.

Effectus nuptiarum est, nuptias promil-  
sas contractas, sponsum & sponsam conjun-  
ctos individuum vitæ consuetudinem, con-  
sortium omnis vitæ, divini atq; humani ju-  
ris communicationem esse adquisitam. Ex  
quâ porrò nomen mariti & uxoris, vinculum

C 3

imperii



imperii & obsequii conjugalis, amor videlicet mutuus, incipit.

Propter hunc effectum igitur merito maritus uxorem suam tanquam partem sui corporis complectitur, fidemque matrimonii conjunctione animorum in concubitu & cohabitatione servat, eamque necessaria victus suppeditatione alit, contra injurias illatas defendit, in valetudine adversa curat, in sociam rei humanæ atque divinæ domus suscipit, dominamque rerum suarum constituit & contra onera matrimonii sustinet *Genes. 24. Ephes. 5. vers. 25. l. 22. solut. matr. l. 8. l. 57. de iur. dot. l. 66. pro socio l. 13. de Negoc. gest. l. 2. C. Qui potior. in pigr. hab. l. un. C. de rei uxor. act. Nov. 117. cap. 9. l. 1. rer. amotar.* Quamvis olim proprium imperii fuerit jus vitæ & necis: Tamen hodie jure civili, quo utimur, modica tantum castigatio maritis est concessa, reliqua verò translata in illum qui legibus solutam potestatem habet, adeoque famosæ actiones omnes inter virum & uxorem prohibita, ut de rebus surreptis non actio furti, sed rerum amotarum competat *l. 11. C. h. t. l. 22. §. 2. solut. matrim. l. ult. §. fin. C. de Repud. tot. tit. rer. amotar. Bodin. lib. 1. de Republ. cap. 3. Nov. 117. cap. 5.* Et hæc potestas mariti non tantum ad personam uxoris, verum etiam ad bona ipsius, sive illa dotalia sint, sive paraphernalia, aut receptitia, defendenda & conservanda extenditur *l. 11. §. sancimus C. de Pact. convent. l. 21. C. de procurat. l. 30. C. de iur. dot. l. 22. solut. matrim. l. doce ancillam C. de rei vindic. Landrecht l. 1. artic. 31.* Sic mulier maritum tanquam caput & dominum suum debita subjectione venerari, amore & honore prosequi, & fidem obsequium item diligentiam in administranda ejus re familiari præstari, eumque in quavis fortuna sequi tenetur. Hinc etiam ipsius domicilii, fori, familiæ & dignitatis fit particeps, quam vidua quoque retinet, licet de jure Saxonico secus sit *1. Cor. 10. vers. 23. Ephes. 5. vers. 32. Rom. 7. vers. 2. 1. Timoth. 2. vers. 12. Tit. 2. Colos. 3. vers. 18. 1. Petri 3. vers. 2. l. alia causa §. eleganter solut. matrim. l. unic. §. cum autem C. de rei uxor. act. l. 32. de Donat. inter vir. & uxor. l. consensu cum Auth. seq. C. de Repud. l. 13. C. de Dignitat. l. fin. C. de Nupt. Landr. lib. 3. artic. 48.*

Matri-



## XVII.

Matrimonium jure contractum dissolvitur aut naturâ aut lege: Natura utpote morte alterius conjugis *A*; Lege solvitur vel propter adulterium vel propter malitiosam desertionem *B*, quo casu & parti innocenti alteri nubere permittitur *C*.

*A.* Nov. 22. cap. 20. *Medices in tract. Mors omnia solvit p. 2. conclus 65. c. 77.* Ita tamen ut mortua uxore vir statim aliam ducere non prohibeatur *l. 8. de his qui not. infam.* Uxor verò si maritum intra annum lugere desierit vel etiam alii nupserit, vel convivis albaq; veste usa fuerit, infamiâ notatâ aliis etiam panis olim subiciebatur *l. 11. de his qui not. infam. l. 1. 2. C. de secund nupt. Nov. 22. c. 22. 23. Paul. lib. 2. sent. tit. 21. quam infamiâ Pontifices mulieri remiserunt c. pen. & ult. de secund. nupt.*

*B.* *Matth. 5. c. significasti de divort. c. discretionem 6. S. nam etsi de eo qui cognov. consang. ux. c. dixit 32. q. 1 c. Apostolus c. fieri potest 32. q. 7. 1. Cor. 7. Beza de Divort. Sed quid de impotentia habendum? Si talis sit quæ curari nequeat, sive sit naturalis, sive accidentalis, & ante matrimonium contigerit, quin matrimonium irritum sit pronuntiandum non dubitamus *Beust. de matrim. p. 2. q. 14. & seq. Beza de tract. pag. 91. & seqq. quamvis dissentiant Cc. quos refutat Beza d. loco. Sane ut infidelis sibi fidelem conjugat concedendum non est, verû si de facto conjuncti sint, divortium sine urgentissima causa non admittimus, 1. Cor. 7. vers. 10. 11. 12. Concil. Trident. sess. pen. Gothofred. ad l. 6. C. de Judæis Philipp. Melanth. in Examine in quæst. An liceat Christiano Wesemb. in paravit. de rit. nupt in fin.**

*C.* *Matth. 19. Beza de divort. pag. 156. Beust. de matrimon. cap. 24. Vult. 1. Jurispr. Rom. cap. 24. n. 28. Schurff. Consil. 57. n. 7. Bronchorst. cent. 2. c. 11. q. assert. 18. & cent. 3. assert. 8.*

F I N I S.







05 A α'108

ULB Halle

3

003 783 405



5b

WDCX


ad.











Inches  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

ionum  
D III.  
LIBUS  
TIIS  
lesumta,  
ce CHRISTO  
VITEBERGEN-  
nuar. horis &  
D E  
RUHELIO  
SE, I. V. Lto  
lobius Be-  
us.  
R G Æ  
an, Anno M. DC. VI.

2